

positionis quintæ huius motus fixorum siderum ab Alfonsi regis æra vsq; ad annos domini 1514, perfectos, cõpleuit in centum annis gradum vnum & minuta prima x, fere. Igitur idem motus ab æra Alfonsi vsq; ad eosdem annos dominicæ incarnationis 1514, perfectos velocior fuerat quã quadringentis annis ante Ptolemæi considerationem, quod potissimũ existit iudicium, caput cancri eclipticæ nonæ spheræ ab Alfonsi æra vsq; ad annos domini 1514, completos delatum fuisse iuxta signiferi successionem, atq; per superiorem seu septentrionalem parui sui circuli medietatem. At q̄ idem caput cancri eclipticæ nonæ spheræ ab Alfonsi æra vsq; ad annos domini 1514, completos versatum sit in secundo quadrante & non in primo parui sui circuli, aut potius iuxta sectionẽ orientalem eiusdem circuli parui & eclipticæ decimæ spheræ, liquet ex eo, quoniã motus stellarum non errantiũ, ab Alfonso vsq; ad annos domini 1514, completos inuenitur fuisse tardior, quã a Ptolemæi æra vsq; ad Alfonsi æram. Necessè igitur est per primũ corolariũ propositionis septimæ huius circa annos domini 1514, perfectos, caput idem cancri alteri duarũ sectionũ eclipticæ decimæ spheræ propinquius extitisse quã circa Alfonsi regis ærã. Nã si per impossibile, eiusdem caput cancri eclipticæ nonæ spheræ subiecerimus, tum Alfonsi tempore cum œuo nostro id est circa annos domini 1514, perfectos in primo quadrante parui circuli, caput igitur eiusdem cancri nostra ætate propinquius accedet eiusdem parui circuli summitati, quã Alfonsi tempore quia ætas nostra Alfonsi tempore longe posterior existit, ergo per primũ corolariũ propositionis septimæ huius motus stellarum non erraticarũ ab Alfonso vsq; ad annos domini 1514, completos velocior fuisset quã ante Alfonsi ærã, quod est impossibile atq; contrariũ experientiæ & his quæ ostensa fuerunt in demonstratione quintæ propositionis huius. Igitur versatio capitis cancri eclipticæ nonæ spheræ ab Alfonsi regis æra vsq; ad annos domini 1514, perfectos facta fuit in secundo sui parui circuli quadrante, aut iuxta sectionem parui circuli & eclipticæ decimæ spheræ orientalem, quod hæctenº decebat demonstrare.